

Vs. Temistocle

Themistocles Atheniensis totum se dedit rei publicae, amicis famaeque suae serviens. Nulla res sine eo gerebatur; neque minus promptus in rebus gerendis quam in excogitandis erat. Primus gradus capessendae rei publicae fuit bellum Corcyraeum. Nam ille persuasit populo ut classis centum navium aedificaretur. Quia celeriter effecta, primum Corcyraeos fregit, deinde, maritimos praedones consectando, mare tutum reddidit. Postea, cum Xerxes et mari et terra bellum Graecis indiceret, Athenienses legatos miserunt Delphos oraculum consultum. Deliberantibus Pythia respondit ut moenibus ligneis se munirent. Cum nemo id responsum intelligeret, Themistocles civibus persuasit ut in naves se suaeque conferrent (da conifero): dixit enim illud esse murum ligneum. Tali consilio probato, cives omnia quae moveri poterant, deportant: arcem sacerdotibus ad sacra procuranda tradunt et reliquum oppidum relinquunt.

da Cornelio Nepote

Vs. Gli abitanti di Alessandria costruiscono una flotta

Erant omnibus ostiis Nili custodiae exigendi portorii causa dispositae; naves veteres erant in occultis regiae navalibus, quibus multis annis ad navigandum non erant usi; has reficiebant, illas Alexandream revocabant. Deerant remi: porticus, gymnasia, publica aedificia detegebant, asseres ad remorum usum obtinebant. Postremo non longam navigationem parabant, sed praesentis temporis necessitati serviebant. Itaque paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes XXII, quinquereemes V confecerunt. Ad has minores apertasque complures adiecerunt et, in portu periclitati quid quaeque earum efficere posset, idoneos milites imposuerunt et se ad confligendum omnibus rebus paraverunt.

dal Bellum Alexandrinum

Vs. Traiano

Gloriam militarem civitate et moderatione superavit, Romae et per provincias aequalem se omnibus exhibens, amicos, salutandi causa, frequentans vel aegrotantes, vel cum festos dies habuissent, convivia cum iisdem indiscreta vicissim habens, saepe in vehiculis eorum sedens, nullum senatorum laedens, nihil iniustum ad augendum fiscum agens, liberalis in cunctos, publice privatimque ditans omnes et honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognovisset, per orbem terrarum aedificans multa, immunitates civitatibus tribuens, nihil non tranquillum et placidum agens, adeo ut omni eius aetate unus senator damnatus sit atque is tamen per senatum, ignorante Traiano. Ob haec per orbem terrarum deo proximus nihil non venerationis meruit et vivus et mortuus.

Eutropio

L'educazione di una fanciulla cristiana

Sic erudienda est anima, quae futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intellegat, cantica mundi ignoret. Adbuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit aetas lasciva puerorum: ipsae puellae pedisequae a saecularibus consortiis arceantur ne, quod male didicerint, peius doceant. Fiant (= si costruiscano) ei litterae vel eburneae, et suis nominibus appellentur; ludat in eis, ut lusus ipse eruditio sit. Cum vero coeperit trementi manu stilum in cera ducere, teneri digituli alterius superposita manu regantur. Non obiurganda est, si tardior est: sed laudibus excitandum est ingenium, ut et vicisse gaudeat et victa doleat. Magister probae vitae atque eruditionis est eligendus.

S. Girolamo